


trem naturalem, Jacob, juxta Matthæum : legalem vero Heli, juxta Lucam (nam Matthæus, qui utitur verbo *genuit*, naturales tantum patres : Lucas vero, qui utitur verbo *fuit*, quandoque etiam legales patres denotare videtur.) Nec refert quod Jacob et Heli non dicantur habere eundem patrem et avos : sed Jacob habere patrem Mathan : Heli vero patrem Mathan, quia Jacob et Heli potuerunt esse fratres uterini ex matre tantum, quæ duobus viris nupserit, et ex Mathan genuerit Jacob, ex Mathan vero Heli. Sic communiter patres veteres.

Secundo, si dicamus a Matthæo describi genealogiam Joseph, a Luca vero genealogiam Mariæ, ut tam Virginis, quam Josephi, qui pater Christi existimabitur, genus ex familia Davidis constaret, ut multi recentiores docent. Et tunc dicendum est, Matthæum quidem asserere, Jacob fuisse patrem Josephi, Mathan patrem Jacobi, etc. Lucam vero dicere Heli fuisse avum Christi, quia patrem Christi, quem insereret, non habebat ; ideoque ad avum transiisset. Nominavit igitur Joseph, tamquam per parenthesin, ac particulam *qui*, retulit ad Christum, non ad Joseph, hoc modo : *Jesus erat incipiens, quasi annorum triginta (ut putabatur filius Joseph) qui*, id est, Jesus fuit Heli, scilicet nepos ex filia Maria. Deinceps vero nomen filii substituendum ; videlicet qui (nimirum Heli) fuit (filius) Mathan, etc. Vel (quod eodem recidit, si particula *qui* referenda sit ad Joseph, dicendum est : Qui scilicet Joseph fuit gener, seu etiam lege uxoria filius Heli. Solent enim et generi vocari filii socerorum quod hic faciendum erat ne per feminam texeretur Christi genealogia contra consuetudinem. Itaque pro Maria nominavit Joseph maritum. Dices patrem Deiparæ vocari Joachim. Respondeo, Joachim idem esse quod Heliacim, et per aphæresim Heli. Utriusque enim nominis eadem est significatio, nimirum Deus suscitabit. Unde summus sacerdos qui Judith, cap. IV. vocatur Heliacim, idem, cap. XV. vocatur Joachim : et II. Par. XXXVI. Eliacim vocatur Joachim. Qua ex solutione intelligi potest, quomodo Joseph a Davide, per Salomonem, quod, ait Matthæus, originem traxerit : Virgo vero ab eodem Davide, per Nathan ejus filium, quod scribit Lucas. Sic multi recentiores, Galatinus, Lucidus, Annius, Canus, Sotus, Jansænius, Genebrardus, Canisius.

Tertio, si dicamus Matthæum describere genealogiam Mariæ Virginis, per lineam paternam, sive per parentes Joachim, a quibus tamen in Mathan diverterit ad Joseph et patrem ejus Jacob : Lucam vero describere ejusdem Virginis originem, per lineam maternam, scilicet per pa-

rentes Annæ, matris ejus, ut sic ostendatur ex Matthæo Christum et Mariam per lineam paternam : ex Luca vero per lineam maternam esse de domo et familia David : tunc dicendum, quod Joseph fuerit consobrinus Beatæ Virginis, et Jacob pater Josephi, fuerit frater Heli seu Joachim patris Deiparæ, Jacob vero et Heli fuerint filii Mathan. Vidimus autem supra non solum ex lege licitum fuisse, nubere consobriño, sed etiam præceptum, quando filia est hæres, uti de filiabus Salphaad diximus. Porro S. Lucas tunc ita exponendus est, ut cum ait : *Qui fuit Heli*, nominet Christi avum, velut primum progenitorem masculum, omitta B. Virgine et Anna, quod mulieres non solerent ingredi genealogiarum series. Rursum cum Lucas ait de Heli : *Qui fuit Mathan*, intellige non filium naturalis, sed gener vel filium improprie, lege uxoria, ut supra diximus. Mathan enim fuit pater S. Annæ, adeoque socer Joachimi. Cum vero ulterius pergat : *Qui fuit Levi, qui fuit Melchi, etc.* intellige semper, filius. Ita Franciscus Lucas, Cornel. a Lapide, etc.



Si quæras, cur his obscuritatum involucris traditæ sint Christi genealogiæ, respondeo servata Hebræorum consuetudine, vix clarius tradi potuisse, quod Christi ortus præter naturam sit et sine patre. Deinde, ut doctores occasionem haberent scrutandi Scripturas ; indocti vero causam haberent non per semetipsos eas explicandi et tractandi, sed requirendi ex ore sacerdotum.

VI. Cur Matthæus omisit tres reges, nimirum Oziam, Joam, et Amasiam, qui tamen inter Joram et Ochoziam, qui idem est cum Azaria, ut patet, IV. Reg. XV. et II. Paralip. XXVI. vixerunt et regnarunt? Respon. id factum propter sanctum quoddam odium in sceleratam Achab domum, et impiam Jezabelem ejus uxorem, quia nimirum Joram immiscuit se domui Achab, et duxit ejus filiam Athaliam in uxorem, crudelem item feminam, ex qua natus est Ochozias, et ex hoc deinceps reges alii. Cum enim Matthæus proposuisset tres tesseradecadas progenitorum constituisse, et in secunda numerus excresceret, vo-

luit e sanctæ nativitatis ordine eliminare tres illos reges ex semine Achab proxime natos, ut sic ad tertiam usque generationem memoria ejus tolleretur ; maxime quia comminatus erat Deus Achabo se demessurum posteriora ejus, III. Reg. XXI. Quare merito sibi timere habent, qui injuste affligunt et opprimunt pauperes, ne et ipsi deleantur de libro viventium : quemadmodum domus Achab expuncta est e libro generationis Christi, quod consilio et instigatione Jezabelis suæ, spoliaverit Nabothum vinea et vita.

VII. Cur Matthæus Christi stirpem in tres divisit tesseradecadas? Respon. id fecisse, ut indicaret triplicem populi Hebræorum statum et gubernationem, sub judicibus ab Abraham usque ad David ; sub regibus, a Davide usque ad transmigrationem Babylonis ; sub sacerdotibus, a transmigratione usque ad Christum, quo veniente cessaverunt dictæ politiæ, et ea lege, regno populoque veteri, ad legem regnum populumque novum transitus factus est. S. Chrysostomus, homil. IV. in Matth. ait, voluisse Matthæum declarare Deum, antequam Filium suum mitteret, omnes attentasse vias, ut populum suum gubernaret et in officio contineret per diversos suos, per judices, reges, duces et sacerdotes ; cumque nihil profecisset, ad extremum misisse Filium suum. Atque eo pertinet parabola illa Matth. XXI. ubi ter mittuntur servi ad vocandum invitandos ad nuptias, et Luc. XX. ubi triplices mittuntur servi ad repetendum fructum vineæ, qui tamen cum omnes male acciperentur, Dominus vine dicit : *Quid faciam? Mittam filium*

*meum dilectum, forsitan cum hunc viderint verentur.* Et bene ultimus status, a captivitate in Christum terminatur, quia Christus est, qui nos a captivitate peccati in libertatem evangelicam transtulit. Ad hæc omnes generationes in quadraginta duo digestæ sunt, ut responderent quadraginta duo mansionibus, quibus filii Israel ex Ægypto ad terram usque promissionis pervenerunt : totidem namque generationibus quasi gradibus filii Abraham usque ad Christum promissum pervenerunt, ut habet Hieronym. in epist. ad Fab. Lucas vero usque ad Deum numeravit generationes septuaginta septem quibus, ut vult August. II. de cons. evang. cap. IV. omnium peccatorum abolitio significatur. Hoc enim numero peccatorum universalitatem significavit Deus Matth. XVIII. cum dixit Petro, remittendum esse offendentem septuagies septies, Deus etiam pœnarum universitatem eodem numero indicavit, Gen. IV. cum dixit : *De Cain septuplum ultio dabitur, de Lamech vero septuagies septies.* Denique, Matthæus singulas politiæ numero quatuordecim complexus est : ad litteram, quia prima saltem et ultima tot continebant. Mystice, numerus quatuordecim criticus est, et medicorum judicio in morbis periculosissimus. Videtur igitur Deus congruenter naturæ, quatuordecim quaque generatione statum mutare et rempublicam voluisse : ut una quodammodo languente et emortua, alia nasceretur melior. Faxit Deus, respublica nostra ita constituta sit, ut nunquam indigeat reformatione, vel prorsus exterminio.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

#### GENEALOGIE CHRISTI EFFIGIES.

Qui hæc genealogia nobis ostendat. — I. Est scala Jacob. — II. Est templum Salomonis. — III. Est cœmeterium plenum ossibus. — IV. Est horologium artificiosum.

#### THEMA.

*Liber generationis Jesu Christi. Matth. I.*

Reperiuntur imagines aeri incisæ ex arte optica, quæ in charta conspectæ nullam ullius rei speciem exhibent, et crederes esse meras trabes ex ruina collapsæ domus sine ordine jacentes. Verum si eis speculum concavum opponas, repente assurgent in effigies varias, hæc palatii, il-

la horti, alia templi, alia campi, alia aciei. Talis mihi videtur hodierna genealogia, quæ primo aspectu mera proavorum Christi nomina, adeoque domum et familiam ejus jamdudum collapsam ostendit. Sed si speculum considerationis ei opponamus, varias variarum rerum videbimus picturas ; et in primis aliquid, quod ad splendorem familiæ Christi spectat, sed multo plura, quæ ad depressionem nostram, miserias et vanitatem generis humani. Quia ergo conceptio Deiparæ, per singulare privilegium immaculata, nos admonet conceptionis nostræ maculatæ et calamitosæ, eaque nobis belle satis representatur in hac genealogia, inspiciamus eam.

I. Ecce tibi scalam Jacob, Gen. XXVIII. cujus duo latera sunt Abraham et David, velut princi-

pes, quibus promissus in specie Christus: gradus infimus est Adam, medii, ceteri patres, supremus seu cacumen tangens cœlum, est S. Joseph cum B. Virgine. Huic ergo scalæ debemus (post Deum) descensum tribuere Dei ad nos, et nostri ad Deum. Ipsa enim deficiente, ubi reperisset Virginem cœlo tam conjunctam? Voto virginis obstrictam? Tot virtutum stellis coruscant? Ab omni terrena labe tam puram ac remotam? Ubi domus alia Deo tam digna? Ergo huic scalæ innititur Deus, quia inde ortus Christus. Per eam ascendunt et descendunt angeli; quia familia ejus modo ad pastoritiam depressa est in Jesse, modo ad regiam dignitatem evecta in Davide, modo rursus inclinata in Josepho ejusque parentibus. Apparet ergo verum esse quod Plato dixit, neminem non regem e servis, et neminem non servum e regibus ortum esse. Unde patet a Deo hominum generationes dirigi, jam deprimi, jam exaltari, ut ne summi infimos despiciant atque insolescant: et ut infimi summos venerentur, tamquam a Deo exaltatos ad digniorem statum. Hinc Satyricus: *Di sicut pilas habent homines*, q. d. jam in altum sustollunt, jam ad terram allidunt: et Isaias, c. XXII. de Sobna præposito templi superbia inflato: *Sicut pilam mittet te in terram latam*: et paulo ante: *Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus*, scilicet in Assyriam, quasi in forum, ut vendaris: quia domi tuæ, veluti gallus in fimeto suo, triumphabas, et omnes spernebas. Apparet id factum in Græcia et Hungaria, quæ hodie Turcis subiecta: ubi omnes nobiles defecerunt, et, ut scribit Auger. Busbequius, in legatione sua, venduntur, nobiles viri ac feminæ decora specie a Turcis in servitutem, nullaque habetur ratio nobilitatis, sed militiæ tantum. Rursus ex hac scala alii ascenderunt ad cœlum, alii deciderunt et descenderunt ad infernum, tametsi de progenie Christi forent. Adeo nullus locus securus extra cœlum; et fidenter dico: Si etiam ipsa B. Virgo peccasset, cecidisset ex hac scala. Unde patet nihil sub sole terribilius esse quam peccatum ut scribit S. Chrysostomus, pluribus in locis.

II. Ecce tibi templum Jerosolymitanum. Nam primo, ante fores templi erant duæ columnæ Jachin et Booz, (h. e. firmitas et fortitudo) designantes duos primarios patres Christi, David et Abraham, firmissima fide Messia sibi promissi præditos. His impositum erat liliū, quo designabatur Christus eorum filius, qui est *lilium convallium* (Cant. II.) ob depressam in ejus parentibus stirpem, in qua velut in convalle natus et educatus fuit. In templo erant vasa varia, mensæ et candelabra aurea, quales hic patriarchæ et

reges: alia minora et ignobiliora, ut emunetoria, quales alii obscuriores Christi progenitores: ut sciamus in Ecclesia Christi varios esse status, ipsi servientes et gratos, sublimes et humiles, nullumque ab ipsius amicitia excludi, qui se in vocatione et statu suo bene gesserit. Sic etiam in comœdia non laudantur illi, qui regum vel pontificum, nec vituperantur qui rusticorum aut mercicorum personas egerint; sed qui suas optime qualescumque tandem. Ad extremum templi locum erat Sanctum sanctorum, in quo erat arca ex lignis Sethim, auro undique obducta; juxta quam stabant duos Cherubim, expandentes alas super eam: super arcam erat propitiatorium, h. e. tabula seu operculum arcæ totum aureum, ex quo reddebat Deus oracula per angelum. Arca est Deipara, juxta Divum Bernard. sermone de Deip. propitiatorium Christus, qui est *propitiatio nostra*, Rom. III. duo Cherubim juxta arcam, sunt duo custodes Deiparæ, Joseph, eoque mortuo, Joannes: lapides hujus templi sunt varii progenitores Christi, sublimes olim plerique, nunc autem omnes collapsi, quemadmodum et lapides templi Salomonis. Ubi enim nunc patriarchæ illi, reges, duces? Ruerunt omnes. Marci XIII. unus discipulorum monstrat Christo templum: *Magister, aspice quales lapides et quales structuræ!* Cui Christus: *Vides has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem.* Qualis lapis Abraham, David, Salomon, Josias, Josaphat, Ezechias! Omnes hi jam collapsi sunt. Non juvit Abrahamum Dei familiaritas, non Davidem bellicositas, non Salomonem sapientia, non Josiam innocentia, non Josaphatum sanctitas, non Ezechiam opes. Mirabantur olim homines Salomonis aulam, divitias, delicias, sapientiam; ita ut regina Saba longissimo itinere venerit ad videndum et audiendum eum: et ubi nunc illa pompa aulica? Nusquam. Ubi horti? Cantores? Currus? Equi? Nusquam. Ubi illi pavones, simiæ, ebur, aurum, ultra maria advecta? Nusquam. Non est lapis super lapidem. Et quis jam æstimat vel cassa nuce pompam Salomonis? Quanti jam æstimaret ipse Salomon?

III. Ecce tibi cœmeterium, plenum sepulcris et ossibus mortuorum. Vides enim hic in uno quasi campo jacere promisee reges, duces, opulentes, fabros, per mortem omnes complanatos. Cum viverent isti omnes, magnum inter eos discrimen erat. Unus sedebat in regio throno, uti, v. g. Salomon; quo alius pauper, v. g. S. Josephus, ne prope quidem accedere ausus fuisset: unus in curru et palatio, alter in terra et tugurio: unus in auro et gemmis, alter in centone ingrediebatur. Nunc omnes pares facti, jacent in ossium

congerie, nec alter ab altero dignoscitur. In exercitu Sennacherib erant centum octoginta quinque millia milites in acie stantes, diversorum ordinum et officiorum: at ubi angelus una nocte omnes interemit, et quidem secundum Hieron. et Hebræorum traditionem, igne quodam interno combussit atque in cineres redegit (quod Isaias, cap. X. insinuat illis verbis: *Succensa ardebit quasi combustio ignis*) postero mane omnes reperti sunt æquales, utpote in cinerem redacti, IV. Reg. XIX. Bene ergo Alphonsus rex Aragoniæ interrogatus, quæ res principes ac privatos, divites ac pauperes exæquaret: *Cinis*, respondit, apud Pannorm. libr. IV. gest. ejus. *Eccur ergo inflatur unus adversus alium? Quid servo? Quid duci? Quid regi? Quid clienti irasceres?* Ait Seneca, libr. III. de ira: *Sustine paulum: veniet ecce mors, quæ nos pares faciet.*

IV. Ecce tibi horologium quoddam artificiosum, quale cernitur in quibusdam imperialibus civitatibus et alibi, ubi sonante hora prodit chorus regum imperatorum, principum ex una porta, dum in gyrum circumeunt, ac se obiter spectandos præbent, mox per aliam portam rursus ingrediuntur, seque abscondunt. Pulchre hoc insinuat Matthæus et Lucas. Ille enim describit genealogiam Christi verbo *genuit*: hic vero verbo *fuit*. Ille ergo introducit eam in mundum, iste rursus educit. Talis est vita nostra: gyrus est e tenebris in lucem, et rursus a luce in tenebras: hominem ad spectandum producens, et mox iterum subducens. Quod insinuavit quidam philosophus, rogatus quid esset homo: vertit enim se in gyrum, quasi diceret: Una rotatio. Et alius, qui se paulum conspiciendum dedit, mox e conspectu hominum subduxit, Rudolph. Agricola, lib. I. invent. Quibus accedit Seneca dicens, ep. LIX. *Hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte dividimus, mox ut in vitam ingredimur, statim alia porta exire incipimus.* Quod si hoc modo non agnoscamus, agnoscemus certe in morte et æternitate. Audiamus testes ex altero sæculo, Sap. V. *Quid nobis profuit superbia? Aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra, et tamquam nuntius velociter percurrrens, tamquam navis, avis, sagitta, sic et nos nati continuo desivimus esse.* Sed quomodo, inquires, hæc vera sunt? Nimirum sicut nos nihili æstimamus vitam scarabæi, qui uno tantum mense vivit, vel ephemerum, ad fluvium Hypanim, vel piscium qui dies vocantur, quia unicum diem vivunt: sic qui in altero sæculo et æternitate sunt, nihil æstimant vitam nostram sexaginta, aut septuaginta, vel etiam mille annorum. Et quanti nos jam æstimamus vitam patrum illorum? Nihili.

Vixit Abraham 175. annis, Isaac 180. Jacob 147. sed illi anni nobis jam quasi somnium sunt. Vita ergo hominum, maxime regum, est quasi comœdia, uti dixit Ferdinandus II. piissimæ memoriæ imperator, in qua regum variæ personæ prodeunt in theatrum; mox ubi spectatæ, et aliquid prolocutæ fuerint, per aliam portam egrediuntur et personas suas exuunt: cum hoc solo discrimine, quod illæ ad paucas horas, veri reges ad paucos annos spectantur. Bene etiam quidam optimatum Eduini regis Anglorum, dum de regis baptismo et gentis conversione agebatur, consultus aiebat, videri sibi præsentem hominum vitam similem passeri, qui tempore brumali in cœnaculum regis calefactum, rege ad mensam sedente, involaret et celerrimo volatu per adversam cœnacula januam iterum evolaret ad priorem brumam; qui eo quidem tempore, quo per cœnaculum volaret, calor aliquid ac nidoris e cibis sentiret, post tamen immediate iterum frigore et fame cruciaretur, in vita S. Paulini episcopi Eboracensis, 10. oct. apud Surium, et v. Bedam, l. I. hist. Angl. Ita nimirum homines in hunc mundum per januam nativitatis ingrediuntur, et ibi modicum aliquid fomenti ac refectionis percipiunt, præsertim in aulis principum et mensis nobilium: verum celerrime iterum per januam mortis egrediuntur ad priorem egestatem et miseriam. Cumque hæc ita sint, ut aperte monstrat hodierna genealogia, nihilominus tamen miseri mortales, velut stulti passeruli brevissimum hunc volatum, calorem ac nidorem tanta contentione ambiunt, eoque inescantur, ut, præ amore hujus momentaneæ oblectatione obliscantur et negligant æterna gaudia. Hypanis fons seu rivus ad quem reperiuntur ephemera illa, ut diximus, per dies quinque fluens fundit aquam dulcem, sed exilem, postea amarissimam et copiosam, Herodoto teste, l. IV. Sic vitæ hujus tam brevis amatores exilem et brevissimam delectationem sectantur, nec curant amarissimas aquas æternum secuturas. Quando ergo vita nostra tam varia et inconstans, tam nihil supra communem cinerem habet, tamque cito evanescit; quid superest, nisi ut eo contendamus, ubi vita sine morte sineque miseria æternum stabilis est?

## CONCIO II.

GENEALOGIA CHRISTI LUDO LATRUNCULORUM SIMILIS.

Videtur in hoc mundo Deus ludere cum latrunculis. — I. Per obliquam tribulationum viam omnes pergere debent. — II. Tolluntur e medio qui alteri temere appropinquant. — III. Includuntur sæpe ignavi. — IV. Sæpe manent minores, subtractis majoribus. — V. Promoventur sensim inferiores, donec fiant reges. — VI. In fine omnes inter se æquantur.

## THEMA.

*Delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.* Prov. VIII.

Consideranti mihi genealogiam istam, videor mihi videre ludum quemdam, seu potius tabulam lusoriam ludi, qui appellatur latrunculorum, seu quintanæ. Illic enim cernere est latrunculos aliquos altiori statura coronatos, velut equites; alios infima, velut rusticos aut militia gregarios: qui omnes inter se varie dimicant et collidunt, atque insidias invicem ponunt. Ita enim hac genealogia alii sunt summi, uti reges: alii medii, uti iudices et patriarchæ: alii infimi, ut rustici, pastores et opifices; quorum omnium fortunam varie Deus vertit revertitque, ut merito dicatur, Prov. VIII. *ludere in hoc mundo, et in eo ludo etiam delectari, ludereque omni tempore.* Alios enim deponit, alios includit, alios promovet et exultat, uti hic videbimus.

I. In ludo illo omnes latrunculi per obliquas vias progredi et ascendere debent, si prædam capere, aut reges fieri volunt: per rectam nemo ascendere potest. Ita etiam quotquot sunt in hac genealogia, præsertim iusti et sancti, per obliquas multarum tribulationum vias ad sanctitatem et gratiam, ac denique ad gloriam pervenerunt. Videamus tantum paucos et quidem maximos Dei amicos. Abraham nonne exire de terra et cognatione sua debuit, et abire in terram peregrinam? Nonne ob urgentem famem peregrinari in Ægyptum? Nonne ibi Saram conjugem charissimam vidit sibi ablatam a rege Pharaone? Nonne Agar uxorem, impulsu Saræ, domo ejicere et divortium ab ea facere coactus est? Nonne Saræ sterilem habuit usque ad centesimum ætatis suæ annum? Nonne ei secundo ablata fuit Sara a rege Abimelech? Nonne rursum debuit ejicere domo Agarsuam? Nonne jussus? fuit immolare filium suum Isaac dilectissimum Isaac ejus filius innocentissimus nonne a parente ductus et ligatus, ac super struem compositus fuit in victimam? Nonne illusorem habuit Ismaelem in pueritia? Nonne totis viginti annis sterilem uxorem? Nonne pro ejus sterilitate tollenda Deum constanter orare debuit?

Nonne et ipse propter famem ortam peregrinari in Palæstinam? Nonne ibi a Palæstinis, invidentibus ei prosperitatem, plurima pati, et cum eis perpetuo de puteis contendere? Nonne per quadraginta et quatuor annos oculorum cæcitatem pertulit? Jacob vero quot ærumnas, perpressus est? Nonne fratrem Esau semper infestum habuit, eumque fugere, et quasi in exilium abire debuit? Nonne pro uxoribus suis, quatuordecim annis durissime servire, et oves pascere? Nonne persecutionem a socero Laban, objurgationem, aliasque injurias perferre? Quantas filiorum delicta curas et anxietates ipsi crearunt? Quantum eum afflixit immatura mors Rachelis? Quantum amissio Josephi? Simeon in carcere detentus? Nonne ob famem, jam decrepitu, proficisci in Ægyptum patriamque deserere coactus fuit? Demum ipse fatetur: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi et mali,* Genes. XLVII. Mali, h. e. miseri, laboriosi, ærumnosi: Atqui dicet aliquis, Nonne de ipso dicitur, Sap. X. *Justum deduxit Dominus per vias rectas?* Id est, sed sciendum est, vias illas rectas fuisse secundum mentem Dei, non juxta sensum hominum. Rectæ enim fuerunt, quia ad felicem finem recte et secure eum perduxerunt; tametsi alias obliquæ, h. e. multis calamitatibus plenæ erant: quæ si ærumnosæ non fuissent, utique a Deo illum abduxissent. Idem de aliis justis, Davide in primis, et sanctissimis conjugibus, Joseph et Maria ostendi potest. Denique, filii Israel, ad hoc indicandum, nequaquam per viam rectam et brevem, sed per obliquam et anfractuosam, sterilem et montosam circumducti et inducti sunt in terram promissam, ut sciamus: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei,* ut Paulus et Barnabas dixerunt, Act. XIV. Iter ex Ægypto in Chanaan non est nisi decem dierum; et tamen quadraginta annis circumduxit Deus Israel per desertum, priusquam introduceret in Chanaan: quia si brevi illa via ducti fuissent, incidissent in gladios Philisthæorum, Exodi XIII. Nimirum via recta, quæ est prosperitatis, admodum periculosa est, et obnoxia plurimis ac gravissimis tentationibus, quæ a paucis superantur. Obliqua tribulationum securior est.

II. In ludo illo tolluntur e medio latrunculi, qui collusoribus latrunculis temere appropinquant. Ita in genealogia ista sublatis et expunctis sunt, Ochozias, Joas et Amasias, tres reges, posterius regis Joram, qui pernicioso et illicito matrimonio duxit Athaliam impiam et crudelem filiam impii Achab et Jezabelis femine gentilis. Ochozias a Jehu, homine gentili, IV. Regum IX. Joas nepos a propriis servis, IV. Reg. XII. Amasias, proneos, itidem

a conjuratoribus interfectus est, IV. Reg. XIV. Ecce quia Joram per connubium, nimis utique prope junxit se impiæ domui Achab et Jezabelis, ab impio et idolorum cultore Jehu, et post ab aliis ejus posteritas deleta est, usque ad quartam generationem, scilicet Oziam. Ozias, abnepos Jorami, cum elevatum esset cor ejus, ita ut non erubesceret sacerdotum officium arripere et adolere incensum in domo Domini, contradicente Azaria sacerdote, adeoque nimis appropriare Deo, illico lepra in fronte tactus, moxque et templo et regno ejectus, habitavit in separata domo omnibus diebus vitæ suæ; et filius ejus administravit pro eo regnum, II. Par. XXVI. Præcepit Deus ut nemo appropinquaret monti Sion, cum promulgaret legem, sub pœna mortis, Exod. XIX. et Josue, ne quis arcæ, Jos. IV. Appropinquant Deo, qui sibi adscribunt quæ a Deo habent, et dicunt: *Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia.*

Item qui se ecclesiasticis negotiis ingerunt, uti Justinianus imp. ideo lapsus in hæresim: rursum qui sacerdotibus se æquiparant, uti nobilis ille Mulser, in Seueld Tyrolis, qui sacram hostiam, sacerdotali parem, sibi porrigi voluit, ideoque cum terra subsidit, quia supra terram sese exaltavit, ut alibi retulimus.

III. In illo ludo includuntur sæpe latrunculi aliqui, cum quasi ignavi nolunt egredi e statione sua et profectum quærere. Ita in hac genealogia, Hebræi aliquot reges cum subditis quam plurimis, ob contumaciam abducti sunt tribus vicibus in captivitatem Babylonicam, et ibi inclusi. Primo, Jechonias senior, qui et Joakimus, propterea quod librum Jeremiæ divinas comminationes continentem, sibi prælectum indignatus sciderit, et in ignem conjecerit, nedum pœnituerit; victus enim catenis in Babylonem a Nabuchodonosore abductus, ibi captivus detentus, tandemque occisus est, II. Par. XXXVI. Deinde, Jechonias junior, illius filius, in locum parentis a Nabuchodonosore suffectus, qui quod patre nihilo melior esset, ab eodem post tres menses statim regno deturbatus, et ipse in Babylonem cum matre et uxore tractus est; et cum eo omnes viri (decies milleni) robore et nobilitate præcellentes, ubi in carcere annis triginta septem detentus fuit, Jerem. XXIV. et IV. Reg. XXIV. Denique, ejus loco constitutus est in regno successor, ejus patruus Sedecias ab eodem Nabuchodonosore; qui tamen tot domesticis calamitatibus exemplis nihil eruditus, fecit malum in oculis Dei, nec erubuit faciem Jeremiæ prophætæ, loquentis ad se ex ore Dei, et rebellavit Nabuchodonosori, cui juramentum præstiterat. Populus exemplum ejus secutus

et universi principes polluerunt domum Domini, et subsannabant Dei nuntios, prophetas ad se missos, II. Par. XXXVI. Quare reversus tertio Nabuchodonosor, urbem cœpit, et Sedeciam in fuga comprehendit, abduxitque in Reblathan, ubi filios ejus in conspectu patris occidit; ipsum deinde exoculatum in Babylonem duxit, urbis mœnia dejecit, domum Domini et regis succendit, populum omnem honoratiorem captivum abduxit, IV. Reg. XXV. En tibi ludum mirabilem, æque ac miserabilem, quem luxit in his tribus regibus Ezechiel, capite XIX. maxime in Joakimo: *Mater tua (synagoga) tulit unum de leunculis suis, leonem constituit eum, scilicet Joakimum. Qui incedebat inter leones (h. e. reges) et factus est leo, et didicit prædam capere, et homines devorare, didicit viduas facere, et civitates eorum in desertum adducere, et desolata est terra et plenitudo ejus a voce rugitus ejus. Et convenerunt adversus eum gentes undique de provinciis, et expanderunt super eum rete suam; in vulneribus earum captus est, et miserunt eum in caveam; in catenis adduxerunt eum ad regem Babylonis, miseruntque eum in carcerem, ne audiretur vox ejus ultra supra montes Israel.* Quis non miretur hunc ludum in tantis regibus tam funestum? Quis non exclamet cum Clotario Francorum rege, acuta febris cruciatus: *Vah, quantus est ille rex, qui sic affligit tam magnos reges! Et nunc ergo reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram, servite Domino in timore,* Psalm. II. Talis etiam fuit Manasses rex, qui instauravit excelsa, quæ pater ejus Ezechias demolitus fuerat, construxit aras Baalim, adoravit sidera, transire fecit filios per ignem, sectatus est auguria et somnia, habuit secum magos et ariolos, seduxit populum, et sanguine innoxio replevit Jerusalem usque ad os, singulis diebus unum prophetam occidendo, teste Josepho, et durarunt ejus scelera per quadraginta annos. Monitus a Deo per prophetas, audire eos noluit, uti et populus ejus, IV. Reg. XXI. II. Par. XXXIII. Itaque ferocem hunc et sævientem latrunculum, seu potius latronem, includere Deus statuit, et misit exercitum regis Assyriorum, qui captum et vinctum catenis et compedibus abduxit in Babylonem; ubi is coangustatus cœpit agnoscere peccata sua, ac seriam pœnitentiam agere, et promittere emendationem. Habetur ejus oratio, et si non canonica, a multis tamen patribus citata; in qua inter alia ait: *Incurvatus sum multo vinculo ferreo, ut non possim attollere caput.* Calamitas ergo eduxit aquam lacrymarum ex hac petra, quam nullus propheta, nulla vis humana poterat educere; neque solum animam e captivitate dæmonis, sed et corpus e captivitate Assy-

riorum eripuit, et hominem restituit regno suo, mutavitque in alterum plane virum ita ut simulacra omnia frangeret, et Deum deinceps sincere coleret.

In quo videre est admirabilem Dei bonitatem et longanimitatem, necnon pœnitentiæ vim: quem enim nullæ opes, nulli milites e captivitate poterant eripere, eum pœnitentiâ eripuit.

IV. In eo ludo sæpe minores latrunculi et infirmiores, qui appellantur rustici, manent in theatro, et finiunt ludum, sublatis majoribus et potentioribus, qui appellantur reges. Idem in hac serie generationis, et quidem bis contigit. In primis quando in prima captivitate cum Joakimo nobilissimi quique, et qui de stirpe regia erant, abducti in captivitatem sunt, uti Daniel et tres socii, Dan. I. Deinde, in secunda, junioris Jechoniæ scilicet, in qua Nabuchodonosor abstulit eum rege omnes principes, fortes et nobiles, omnes artifices; reliquit vero solos pauperes terræ, qui vineas et agros colerent. Denique, in tertia, quæ fuit Sedecia, in qua, eversa urbe, omnes translati sunt, exceptis pauperibus, qui nihil penitus habebant; quibus dati sunt agri et vineæ divitum, ut eos colerent, et censum inde Chaldæis solverent, Jerem. XXXIX. et IV. Reg. XXV. Unde pauperes tunc soli possidebant terram Palæstinæ, dominis ejectis; et bene habuerunt, colligentes vinum et messem multam nimis, Jerem. XL. Ita nimirum Deus solet deprimere superbos, et exaltare humiles. Id quod et gentiles agnoverunt, uti Esopus ille, qui interrogatus a Chilone, quid faceret Jupiter: *Excelsa deprimi, inquit, exaltat humilia*. Quæ Dei providentiâ typus erat iudicii extremi; ubi pauperes spiritus possidebant regnum cœlorum, divites avari in gehennæ captivitatem abducentur. Vide etiam hic, regum lapsum multis nocere, præsertim propinquis et aulicis; siquidem cum regibus semper fere propinqui et nobilissimi quique captivi facti fuerunt; quomodo etiam in ludo latruncolorum rex solus non capitur, uti dixit Ludovicus Crassus rex Franciæ in prælio contra Anglorum regem, ab equite quodam comprehensus et freno tentus, ut se captivum daret. Exempto enim gladio, equitem obtruncat dicens: *At ne in latruncolorum quidem ludo solus rex capitur*, Corozettus, de dictis et factis memor.

V. In eo ludo promoventur sensim minores latrunculi, qui dicuntur rustici, per varios gradus usque ad summum tabulæ gradum, et tunc fiunt reges vel reginæ, et acquirunt potestatem ampliore prædandi circa se, ante et retro, quidquid occurrit. Ita in hac genealogia mire aliqui promoti sunt ex infimis ad summos gradus et digni-

tates. Qualis in primis David, qui ex puero pastoritio paulatim ob virtutes suas ad regiam ascendit dignitatem: magis adhuc S. Joseph, qui ex fabro, Christi nutritius et suo modo pater, ob eximias suas virtutes factus est: multo autem Maria, quæ ex humili conditione et magna pauperie mater Dei effecta, per varios gradus in Dei matrem et reginam cœli promotâ, acquisivit plenissimam potestatem rapiendi ad se eos, qui a facie justis, et qui a tergo peccatores, ei occurrunt, ejusque opem implorant. De justis non est quod dubitemus; de peccatoribus afferamus exempla. Notum est illud in primis B. Mariæ Ægyptiacæ peccatricis, per imaginem Deiparæ ter ab ingressu templi repulsæ, ut alibi dixi. Cui simillimum est, quod recenter an. 1620. in Goensi provincia, Indiæ orientalis contigit in Mozambique homini malæ vitæ, qui audito aliquando die sabbati pulsu campanæ ad *Salve Regina*, in Ecclesia decantari solitum, perrexit eo et ipse: sed ad vestibulum portæ templi repente perdit usum pedum, adeo ut intrare minime posset, cum id sæpius tentasset. Constituit ergo domum redire, sed non potuit, quod pedes plumbo graviores atollere non valeret. Ad vicinum igitur murum se inclinans dum vicem suam delet et miratur, videt ibi vicinam B. V. imaginem ad murum. Huic queritur suam miseriam, et fatetur se ob peccata sua utique impediri ab ingressu ecclesiæ, ad ejus pium canticum audiendum: *Quid igitur, Domina, quid me vis facere? En paratum me*. Dum hæc ille, quidam pater noster casu ei occurrens e vicino collegio, monet ut suæ salutis causam agat cum Deo. Cui ille: *Verum est, pater, debeo confiteri*, et hoc emisso proposito, sensit sibi restitutas ad ambulandum vires. Fecit ergo confessionem patri a tredecim annis, quibus confessus non fuerat, jussitque, ut pater hoc collatum ei beneficium undique divulgaret. Ita scribit in annis Goensibus, Hieronym. Majorica Romæ impressis, an. 1627. En propter exiguum devotionis opus sibi præstitum B. Virgo hominem pene in faucibus Satanæ constitutum eripit, et in statum salutis reponit. Et jure quidem obtinet hoc privilegium Deipara: si enim apud Romanos olim vestales virgines hoc juris habuerunt, ut quoscumque reos, qui ipsis obviassent, absolvere a vinculis et vita donare possent (teste Cœlio, libro XV. capite XIV.); non habebit hoc Dei mater, ut ubi supplices eripere a morte æterna possit?

VI. Denique, cum ludus ille finitus est, omnes latrunculi de tabula auferuntur, et in sacculum injiciuntur; ubi inter se promiscue jacent, nec amplius ratio habetur, quis rex aut rusticus fuerit. Ita contingit huic genealogiæ, si temporalia

spectemus. Dum viverent hi progenitores Christi, magna inter eos discrimina erant: alii iudices, alii reges, alii principes, alii plebei, alii divites, alii pauperes. At nunc per mortem omnes de tabula sublatis sunt, et in communem matrem terram reconditi, ubi promiscue jacent, nec unus ab alio discerni potest. Ubi nunc sceptrâ regum illorum? Ubi reginæ? Ubi aulæ? Ubi opes et deliciae? Ubi robur Davidis? Sapiencia et pompa Salomonis, horti, musici, palatia, equi, currus, piscinæ, gynæceum, opes et deliciae? Quemadmodum Judæi post ultimum exterminium omnes æquati sunt, ut jam inter eos nemo sit pontifex, nemo sacerdos aut levita, nemo rex, nemo propheta, nemo iudex, nemo dominus, nemo princeps aut nobilis, sed omnes æque abjecti sunt (id quod indicabat femur Jacob, Genes. XXXII. cum emarcuit); ita patres illi per mortem omnes pares facti sunt. Intra in cœmeterium, et vide ossa mortuorum, ac discerne, quis nobilis, quis ignobilis, quis dominus, quis servus fuerit; et invenies cinerem esse, qui omnes adæquat. At superna bona et solida spectemus: soli ii splendent, qui virtutibus excelluerunt, uti patriarchæ, David, Josias, Ezechias, præ omnibus vero Deipara. Fæct e contra malorum fama, Salomonis, Roboam, Joram, Ozia, Jechoniæ. Quare omnes illi reges multo plus gloriæ mutantur a B. Virgine, tametsi pauperis fabri conjugæ, quam hæc ab illis. Imo sicut stellæ a sole, ita illi a Deipara splendorem acceperunt. Dele solem, et stellæ nihil erunt. Videamus ergo ut cognati siamus Mariæ; quod fiet, si in ejus sodalitate, quasi in spiritali ejus genealogia, peculiari eam cultu veneremur: tunc enim et nos ejus beneficio fulgebimus, sicut stellæ in perpetuas æternitates.

## CONCIO III.

BEATA VIRGO CASTITATIS, HUMILITATIS ET PAUPER-TATIS MAGISTRA.

Mundo iaveterando provisa et prævisa instauratrix Maria. — I. Magistra castitatis contra mundi immunditiam. — II. Magistra humilitatis contra mundi superbiam. — III. Magistra paupertatis contra mundi avaritiam.

## THEMA

*Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram.*  
Prov. VIII.

Magnum quid legitur in hodierna missa de B. Virgine, nimirum eam conceptam fuisse, antequam mundus conderetur. Ita enim libr. Prov. legit et applicat ipsi Ecclesia verba illa Sapientis:

*Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret: et mox: Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram.* Quid hoc, et quæ ratione prædicari de Matre Dei potest? Præclare id explicat Andreas episcopus Jerosolymæ, cum ait, Deum ante mundum conceptum prævultisse eum tandem per peccata inveterandum. Itaque ante ejus creationem providisse illi de conservatrice et quasi reparatrice, quæ est Maria. Qui enim suæ domui bene provisum vult, in ea sibi parat pharmacorum apothecam, dum sanus est et juvenis; quia cogitat futurum aliquando ut ea opus habeat, in morbis et senectute. Prævidit ab initio Deus, fore aliquando, ut mundus consenescat, nec aliter nisi peccatis: voluit ergo ante omnia providere ei de pharmaco, quo ejus morbo, debilitati et senectuti cura adhiberetur. Hoc vero quidnam sit, edisserit nobis prædictus Andreas episcopus in sermone de annunt. cum ait: *Senio quasi confectus mundus, per Mariam peccatorum senectam exiit*. Porro Sanctus Augustinus, in libro de doctrina christiana scribit, omnino delicta senescente mundo potissimum regnare, et quidem illa ipsa, quæ fere in senescente homine regnunt. Primum est turpitudine, alterum fastus, tertium avaritia. Turpitudine enim, licet juventuti propria sit, tamen illos, qui juventam in voluptatibus et libidinibus triverunt, non deserit in senio, sed aliquando ardentem invadit. Fastus, quia cum honorem canis suis deheri putent, plus æquo illum affectant et ambiunt. De avaritia ait S. Augustinus, in sermone CCXLVI. de tempor. *Nonne in frigidis senibus (avaritia) tanto acquirendum ferventius inardescit, quanto citius relictura est quod acquirunt, mirabili sane dementia?* Eadem hæc in senescente mundo vehementer invaluerunt; et vigere nostro misero sæculo sat superque videmus. Tribus hisce morbis providit ac prævidit Deus præclarissimam medicatricem Deiparam, quæ tribus antipharmacis ab ea præparatis et a nobis usurpandis, illos expugnaret.

I. Primum est castitas et virginitas, quæ in Deipara admiranda fuit. Primo enim, virginitatem amplexa est eo tempore, quo hæc virtus non ignota tantum, sed et exosa fuit: sola fecunditas Dei benedictio putabatur, uti contra sterilitas probrum, quasi ob aliquod delictum parentibus inflata. Erat infœcunditas, quasi arbor in horto sterilis aut ager infœcundus, nullo in pretio. Secundo, tanto hujus virtutis amore exarsit, ut non solum virgo semper vivere, sed virginitatem etiam Deo vovere voluerit. Per votum autem præter ipsum actum datur etiam potentia, scilicet voluntas seu libertas præter fructum arboris,